

\_Lettera\_N\_1406

Al papa Pio IX

Torino, marzo 1870

Beatissime Pater,

Joannes Bosco Sacerdos ad pedes Beatitudinis tuae provolutus humillime exponit quae sequuntur: Clericus Rochus Ramus, loci Idoli (vulgo Edolo) dioecesis Brixiensis, quindecim annos natus religionem fratrum minorum Reformatorem strictioris observantiae ingressus est die 28 augusti 1862. Die vero 30 augusti 1863 eandem religionem professus est emittens vota simplicia ad triennium; quae complementum habuerunt anno 1866. Tandem die 17 junii 1868, ob civilem abrogationem sui ordinis in nostris regionibus, sancti Francisci religionem derelinquere debuit.

Nunc vero, post annum approbationis, piam societatem seu congregationem salesianam profiteri desiderans, a Sanctitate Tua humili precatatione postulat ut huic congregationi adscribi, eandemque profiteri, et in eadem sacros ordines suo tempore suscipere possit ac valeat.

Haec facultas ideo necessaria est quia ex hujus societatis approbationis decreto, superior generalis litteras dimissoriales eis tantum relaxare potest, qui ante annum decimum quartum in aliquo hospicio vel convictu ad salesianam congregationem spectantibus recepti fuerint. Ita in decreto die 1 martii 1869. Sac. Gio. Bosco